1502
1862
Library

QUID VALEANT DIFFERENTIAE SEXUALES AD MORBORUM PSYCHICORUM AETIOLOGIAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA,
ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNARDUS HOELKER,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. CLAUS, DRD. MED.
F. ENGELMANN, DRD. MED.
H. KOEHLER, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD TYPOGR.

MATRI

OPTIMAE DILECTISSIMAE

NEC NON

AVUNCULO CARISSIMO

J. HOELKER,

MEDICINAE, CHIRURGIAE, ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI
MEDICO PRACTICO PUBLICE CONSTITUTO.

SIGNUM PIETATIS.

Sexu totum animi vigorem in suum quemque cursum directum esse expertum habemus. Neque minus indoles diversum animi vigorem in utroque sexu efficit, quam educatio, imitatio aliaeque res. Fert etiam natura, ut utriusque sexus vitae officia multum ad animi vires valeant. Itaque una cum differentiis anatomicis atque physiologicis maximeque his ipsis institutae differentiae in vita psychica inveniuntur; cujus rei quantum naturae quantum arti attribuendum sit, difficile dijudicabis. Luculentissime quidem differentiae sexuum ex natura nervorum eorumque affectionibus perspici possint, sed in his accurate intelligendis quod sequamur parum est. Cerebrum feminae quidem, si ad nervos respexeris, amplius esse, medullam oblongatam crassiorem, lobulos cerebri posteriores majores, anteriores contra minores quam in maribus; cerebrum feminae magis exsangue quam maris esse, quoniam arteriae minores atque foramina cranii, per quae arteriae pergrediuntur, angustiora sint, nonnulli confirmare voluerunt; attamen hujusmodi observationes omnino rem non con-

ficiunt. Feminam nervorum incitationibus facilius atque magis affici, eidemque omnino morbos nervinos, status hyperaesthetícos magis proprios esse quam mari, dubitari nequit. Neque minus certum est, illam majore esse praeditam accomodationis facultate, qua corpus fiat aptius ad affectiones doloresque vehementiores ferendos, minore irritabilitate maris haud ita facile sese accomodante. Eandem etiam differentiam sexuum in morborum psychicorum aetiologia perscrutanda videmus.

Multum inter se discrepant, utrum feminae magis inclinentur ad perturbationes animi an mares, vel, ut aliis verbis dicam, num illarum plures morbis psychicis laborent an horum. Quod et numerationibus factis nondum est constitutum et discrimen praebet summas difficultates, quippe quum res inter se controversae in hoc discrimine constituendo observandae sint, ut educatio, vitae ratio, diversa tempora, terrae, ingenia moresque gentium, ita ut sub his conditionibus distantibus mox marium mox feminarum plures numero morbo psychico laborantium adjudicandi sint. — Esquirol reperit et numeris demonstravit, feminarum numerum aegrotarum aliquanto majorem esse quam marium. Quod si illis temporibus idque in Francogallia erat, tamen certe dubium est, num nostro tempore, num in aliis terris sic se res habeat; sunt enim, qui ita non esse contendunt, ut jam ex veteribus autoribus Coelius Aurelianus. Prichard tradidit, numerum marium morbo psychico in Britannia affectorum rationem habere

ad feminarum ut 13 : 12. Itemque in Germania numerus marium aegrotorum psychicorum numero feminarum major esse fertur (3 : 2). Jacobi eandem rationem in Borussia esse affirmat. In civitatibus Americae unitis mares morbo psychico aegroti aliquanto feminis praevalere dicuntur (2 : 1). Burrow aegrotos viriles putat inter nobiles plures esse quam inter obscuros, id quod Esquirol etiam in Francogallia esse confirmat. Omnino hoc tempore sententia maxime valet, numerum aegrotorum virilium ad feminarum se habere ut 3 : 2, vel certe ut 5 : 4. Sed hoc loco silentio non praetereundum esse mihi videtur, formas mentis alienationis apud feminas plerumque depressioris naturae, itaque mitiores et minus vehementes esse eaque de causa numerationibus institutis non tam facile cognosci posse, quam apud mares. Simul marium conditio liberior majorem diligentiam desiderat ad removenda flagitia perniciosa atque morbos, qui inertiam in illo statu secum portant; quae res magnam partem in causa est, cur aegroti viriles facilius quam feminae curationi tradantur. Itaque omnino uter sexus plures aegrotorum contineat, difficile est ad dijudicandum, praesertim quum ne observatio quidem cum doctrina habita quidquam certi nobis praebere possit. Etiamsi negare non possumus, vel irritabilius nervorum atque sensuum systema generis feminini, vel cupiditates, quae in femina multo vehementiores sint, vel complures processus sexuales, quibus vir non utitur, omnia haec saepius feminis causam morbi psychici

praebere; tamen feminae ipsae majore resistendi facultate adversus instantia animi pericula insignes sunt, neque ita facile morbis afficiuntur et praeterea in sexu virili aliae diversissimae res aetiologicae sunt respiciendae, quae in feminis aut omnes aut ex magna parte desiderantur. Quapropter etiam optimo jure affirmari potest, apud marem causam morbi psychici magis in medio, in quo ei vivendum sit, apud feminam magis in constitutione naturali ejusque permutationibus necessariis quaerendam esse. — Singulas igitur res causales morborum psychicorum, ratione differentiarum sexuum habita, expositari, ordinem usitatum secuti primum internas praedisponentes causas, deinde externas excitantes considerabimus, quamvis haud ignoremus, quam imperfecta atque incommoda haec causarum sit distinctio:

I. Causae praedisponentes.

Hereditas.

Hereditatem ad morbos psychicos inducere satis constat, tamen hoc loco affirmaverim id non tam saepe accidere, quam putari solet. Jure accipi potest, mentis alienationem et patris et matris in utroque liberorum genere causam praedisponentem morbi hujuscemodi fieri ea conditione, si morbus parentum aut dispositio morbi iis temporibus fuerit, quum somatica vis parentum ad embryon valuit. — Bail-

larger contendit, vesaniam matris, quod pertinet ad hereditatem, plus valere quam patris (3:2), quum et facilius et saepius in plures natos devolvatur $(\frac{1}{4} : \frac{1}{6})$; itemque hereditatem vesaniae matris filiabus, patris filiis majori esse periculo. Dicit enim, apud 453 aegrotos, quibus hereditas morbi causa fuerit, morbos 271 ex matre, 182 ex patre congeneratos fuisse. — Quarundam ad morbos psychicos praedisponentium nervorum conditionum alias, quae feminis maxime propriae sint, ut Hysteriam, a matre in filias, alias vero, quae maribus, ut Hypochondriam, Epilepsiam, a patre in filios facillime devolvi, certum est. Neque minus constat, ebrietatem, in qua quis liberum procreet, saepius gravem causam remotam esse morbi psychici ejusdem liberi ita geniti posse. Etiam illa quaestio, num matris aut nutricis indoles animique facultates atque etiam praedispositio quaedam ad morbum psychicum lacte (nutriendo) in liberos devolvi possit, sub certis conditionibus est affirmanda. Sed haec omnia adhuc nimis obscura accuratiorem investigationem magnopere desiderant.

Educatio perversa.

Altera mentis alienationis causa sine ullo dubio etiam saepius in ea educatione perversa quaerenda est, quae libidinibus nimis serviat neque animo vim ad inopiam et etiam contradictiones perferendas necessariam praebeat. Num vero omnino et quonam modo in hac re sexus discrimen faciat, difficillimum

ad dijudicandum erit. Hac enim ratione et puellae et pueri afficiuntur, sed utri horum saepius et facilius distinguere non audeo. Esquirol, quod feminae insania afflictae suo tempore in Francogallia praevalentes fuerint, vitiis educationis adscribit. Nam voluptates solae jocosaeque res, studiis gravioribus antepositae, fabulae Romanenses, quae in animis teneris praematuras voluptates libidinesque excitent, ipsasque ideis fictae perfectionis, quam nusquam inveniant, nimis compleant, theatrum et circuli ante tempus et diligentius frequentati, studium musicum perverse incitatum, segnities, quae nunc dicitur nobilis, haec omnia viro illi praeclarissimo jure maximi momenti esse videntur. — Quod vero pertinet ad nostram aetatem etiam magnam partem vituperandum mihi esse videtur. Pueri enim saepe, nulla ratione generis, animi facultatum, corporis natura constituti, vel etiam ingenii, voluntatis, habita, eam rerum scientiam sibi comparare coguntur, quae ex sententia parentum claram vel etiam lucrosam vitae conditionem iis praebere possit. Apud puellas etiam similis perversa educatio adhibetur, quum sensus rerum amoenarum intemperans et omnis vitae levitas magis colantur quam opprimantur. Tali modo et in puellis et in pueris corporis quaedam ad morbum psychicum inclinans constitutio provocatur, sed utro in genere saepius et facilius id fiat dijudicare non audeo. — Educatione vero una ex parte ad animum ejusque perturbationes, ex altera vero ad diversas vitae partes et societatem humanam

accuratius considerandam deducimur, qua in re graves causae praedisponentes morbi psychici respiciendae erunt

Diversae animi naturae affectionesque.

Quid porro differentia animi naturae ad morbi psychici aetiologiam valeat, tamquam causa remota praedisponens, in singulis tantum, ratione omnium ceterarum conditionum habita, manifestari potest. Differentiam autem sexuum hac in re alicujus momenti esse negaverim. Contra vero negari omnino nequit, in affectionibus cum natura magnopere conjunctis, quarum vis ad aetiologiam morbi psychici ab omnibus jure maximi aestimatur, differentias sexuales maximi esse momenti. Saepius etiam vulgo auditur, mares ob superbiam offensam, feminas ob amorem repudiatum morbo psychico laborare; quae sententia quamvis in universum falsa judicanda sit, tamen aliquid veri prae se fert. Quae enim in introductione de communi differentia psychica in generibus diximus, etiam ad hunc locum spectant. Totam animi vitam interiorem singillatim acuratissime observare singulasque animi cupiditates affectionesque persequi hoc loco longum est. Tamen gravissima momenta jam accuratius pertractaturus sum, quamquam posteriore loco, quo de psychicis causis excitantibus et imprimis de affectibus dissereretur, multa mihi repetenda erunt, quippe quum causae praedisponentes et excitantes ex omni parte secerni non possint:

Amorem et omnino totam vitam sexualem generis femini majoris momenti esse quam masculini haud infitiandum est, ut jam elucet ex verbis illis poëtae nostri clarissimi: „Es ist der Weiber einzig Weh und Ach, so tausendfach aus einem Punkte zu kuriren.“ Omnia illa de hysteria, irritatione spinali, magnetismo, somnambulismo etc. magnam disputationis materiam praebere possint. Tota organismi feminini natura posita est in sexus muneribus, quibuscum feminarum conditio et status vitae artissimo vinculo conjuncta sunt. Desiderium feminarum naturale morbo auctum, quod satiari non potest (exempli causa puellarum, viduarum, monacharum) saepissime varias hyperaesthesiae nervorum formas adducit, quas insania facillime sequitur. Amore infelici inprimis sexus muliebris opprimitur, et ea de causa magis offenditur, quod magis amat. Magnae animi perturbationes quas saepissime phthisis sequitur („am gebrochenen Herzen sterben“) intelligentiam et animum aut deinceps aut subito, aut tarde et sedate (status depressionis) aut turbulenter et celeriter (mania) evertunt.

Morbi feminarum psychici, quorum causa amor erat, priore tempore in certum genus referebantur, cui nomen erat Erotomania. — In sexu virili amor infelix multo rarior morbi psychici causa est. Quamquam animus viri, cui tale malum accidit, etiam perturbari potest, tamen alia ratione cognoscitur, quum vir plerumque infelicis vitae morte voluntaria finem faciat.

Ut amori sic etiam zelotypia saepius apud feminas quam apud mares causa morborum psychicorum est: Utrum viri mulieribus an mulieres viris saepius zelotypiae occassionem dent, nobis non est hoc loco inquirendum. Omnia ista, quae animum magnopere afficiant, vehementissime commoveant, longius sentientem attentumque reddant et continuo in agitatione teneant, haec omnia, ut femina facilius morbo psychico laboret, faciunt.

Magnum etiam momentum, quod apud feminas multo gravius fit, est pudor, qui sensuum et cerebri actionem impediens mentem corrumpit. Hominum enim judicium severum, cavillatio, neglectio, ignominia, quae omnia feminam corruptam flagitiisque deditam multo magis quam virum percutiunt, necessario una cum conscientiae cruciatibus, cordis contritione iisque malis, quae secundum naturam ex vitiis manant, in cerebro actionem quandam excitant, quam nimis facile morbus melancholiae vel maniae sequitur.

Aliae animi affectationes, quibus animus deprimitur, exempli gratia angores domesticaeque sollicitudines, facile, quum tota vitae feminarum conditio ad res domesticas et liberos respiciat, in feminas ipsas perniciosam vim habere possunt. At non solum femina, sed etiam vir talibus vitae succumbit conditionibus, si ipse solus tales curas atque sollicitudines perferre vult. — De affectibus iis atque motibus, quibus animus subito et in praesens exci-

tari vel etiam perturbari potest, postea disserendum mihi erit.

Permultum etiam ad aetiologiam morborum psychicorum valet is animi habitus, qui facile ex nimia pietate et sanctitate efficitur. Religio etsi per se ipsa nemini morbum affert, tamen perverse intellecta saepius causa morbi psychici praedisponens fieri potest, et insaniae, ex tali superstitione profectae, fines difficile statui possunt. Religio enim perverse intellecta cumque superstitione conjuncta facile adducit ad fanaticos errores atque furores, ex quibus profectos morbos psychicos ratione fere epidemica exstitisse historia multis locis nos edocet (cfr. Ideler: Religiöser Wahnsinn). Sed his rebus sexum muliebrem multo magis affectari quam virilem manifestum est et optimo jure contendi potest, rationes sexuales cum religiosis arta propinquitate conjunctas esse. Tamen fanaticos viros morbo psychico afflictos saepius etiam inveniri non negaverim.

Neque hoc loco negligenda erit sexui muliebri maxime propria imitatio, quae posita in majore sensuum vigore et animi quadam infirmitate vim paene contagionis psychicae agnoscere nos cogit. Illis temporibus, quibus doctrinae de Magnetismo maxime florebant, tanta, inprimis apud feminas, amentia apparebat, ut non injuste de Magnetomania tanquam morbo psychico loquerentur.

His igitur animi affectionibus atque libidinibus sexui muliebri maxime propriis pertractatis, accedamus ad eas, quae virili magis propriae sint. Quae

enim apud feminas in aegra animi affectione posita sunt, apud viros perspicientia et voluntate nituntur et recte Zimmermann dicit, puellas ob amorem in morbum incidere, feminas ob zelotypiam, viros ob superbiam. Offensa enim superbia, caecus amor sui, ambitio sine dubio apud viros causae morbi praedisponentes sunt, quae animum ad subito excitantes morbumque psychicum efficientes impulsus accipiendos mollem faciunt.

Vitae conditiones atque officia.

In his rebus externis causalibus, quemadmodum ad morborum psychicorum aetiologiam valeant, pertractandis multo magis sexus virilis quam muliebris respiciendus nobis erit. Tota enim feminae vita externa simplicissima minimeque perniciosis rebus ad animum pertinentibus circumdata, viri contra periculis plena est, ut jam ex eligendo officii genere percipi potest. Feminae enim eligendum non est, quum maneat in familia et ad eam postea administrandam educetur, perpaucis exceptis. Viro autem munus certum eligendum est, quod saepe fit, proh dolor! nulla ratione propriarum animi facultatum corporisque firmitatis habita; et ut pauperibus plerumque judicium eligendi liberum deest, ita rebus secundis pueri praediti saepe opinione quadam praejudicata vel etiam aliorum auctoritate ad id munus eligendum ducuntur, quod minime iis convenit animosque non satiatos relinquit Quos ad errores si corporis incommoda accesserint, ut saepe apud textorum po-

steros numerosos inveniuntur, paucae tantum psychicae vel physicae causae leviores satis erunt ad incutiendum morbum animo jam debilitato. Saepe etiam ratio corporis infirmitatum cognoscendarum non satis diligenter habita vel, ut ita dicam, tyrannorum arbitrium parentum in constituendo munere liberis futuro facile aut subito aut paullatim perturbationes animi insanabiles adducere possunt. Maximeque in annis ineuntis pubertatis juventus facile animi motuum permanentium sensu imbuitur. Itaque in officiorum munere falso electo saepius causae primae animi perturbati, Hypochondriae Melancholiaeque per totam vitam durantis, quaerendae sunt.

Singula quaeque vero diversa vitae officia atque negotia etiam diversis modis ad aetiologiam morborum psychicorum valere, quamvis certum sit, tamen hoc loco singula quaeque genera, quid valeant, deinceps accuratius explicare juvat.

Primum igitur studia artium liberalium per se ipsa animi perturbationibus remedia paene dici possunt. Sed ut medicina, nimiis portionibus data vel perverse adhibita, facile venenum obnoxium redditur, sic etiam animi exercitationes perniciosae fieri possunt. Subtilitates enim metaphysicas in primis eorum, qui non optima indole praediti sint, vigilias continuo repetitas, vitam sedentariam, certos vivendi modos neglectos trahere impedimenta circulationis in vena portarum, plethoram abdominalem, haemorroides, peritonitidem chronicam itaque apud viros doctos causas etiam psychicorum morborum fieri

posse, quis neget? Artifices vero, histriones, musicos saepissime animi perturbationibus laborare certis causis sequitur. Saepe enim ea educatione et eruditione carent, qua motus animi et cogitationes dirigi possint, quae in perpetua agitatione versantur. Porro etiam libidinibus irruentibus facile vincuntur, ambitione, invidia, ostentatione, quibuscum effusa et animi et corporis contentio aliaeque res periculosae cohaerent, et tunc valet proverbium: arcus nimis intentus frangitur. Quodsi quis insuper de victu aliisque rebus ad vitam sibi ipsi ac familiae necessariis cogitare cogitur et vitam veram, singulari cuidam summae perfectionis imagini animo et cogitatione conceptae repugnantem videt, evitare vix potest, quin facile in morbum psychicum incidat. Homines sententiarum copia cogitationisque nimia quadam ubertate praeditos magnopere pulsus sensuum externos desiderare hisque obrutos variis libidinibus se dare, et talem perversam vitae rationem intemperantiamque in baccho et venere, saepius permultum ad aetiologiam morborum psychicorum valere, hoc loco commemorandum est. — Aliis vero artibus sordidis, quantum libidines excitentur et corpora defatigentur, maxime respiciendum est. Mercator, qui emendi aut vendendi quaestu et lucro ductus omnia audet semperque inter spem et metum fluctuat, facile in morbi psychici discrimen venit. Multae etiam artes sordidae, quae vitam sedentariam degere cogunt, exempli gratia textorum sutorumque, in pectore et abdomine multas morbi dispositiones movent et saepe

Hypochondriae Melancholiae aliarumque animi perturbationum causam inferunt. Quantum vero vita civilis et turbulentae civitatis tempestates animum excitare atque perturbare possint, in controversia est. Sed sine dubio saepe ceteris causis recte adnumerari possunt. — Alia denique vitae munera recta via cerebro obnoxia sunt, quum homines in sole ardente vaporibus carbonum, metallicarum appulsu materiarum versari cogant, exempli causa pistorum, coquorum, fossorum eorumque, qui tingere solent colore indico (cfr. Esquirol), de quibus postea sermo erit.

Haec omnia multo magis ad animos virorum quam feminarum perturbandos pertinere satis manifestum mihi esse videtur.

Aetas ejusque conditiones.

In infantiae annis plerumque invenitur tantum stupor quidam ingenitus, qui nostro tempore Idiotismus dicitur, et in masculino saepius quam feminino genere occurrit. Sic Ruer (Irrenstatistik der Provinz Westfalen S. 172) septingentorum viginti octo idiotarum 454 viriles et 274 muliebres fuisse adnotavit, quae res fortasse etiam cohaeret cum eo facto, quod inter natos inanimatos plures pueri quam puellae inveniuntur (Bernoulli), sine dubio autem, si accipi potest, idiotismum positum esse in evolutionis impedimentis, ex majore infantium fragilitate et infirmitate in primo vitae tempore explicanda erit.

Aliae animi alienationes in primis vitae annis rarissimae sunt. — Ab ineunte autem pubertatis evolutione multae aliae rationes respiciendae sunt, quum vita et corporis et animi in omnes partes novo impetu afficiatur, qui sexui muliebri periculosior est quam virili. Magna enim commutatio et psychica et somatica apparet, quod tempus crisimum animo perniciosum fieri potest. Nimis enim facile animi affectus perverse progrediuntur, qui processus positi in causis corporalibus imprimisque in partibus genitalibus saepius causae praedisponentes vel etiam primordium magnae animi alienationis judicandi sunt. Itaque etiam compertum habemus, ante annum vicesimum peractum apud sexum muliebrem plures animi perturbationes esse quam apud virilem (cfr. Esquirol, Koestlin etc.). — Anni mediae aetatis (20—60) aetiologiae morborum psychicorum maxime idonei habendi sunt Hoc totum vero aetatis spatium in duas partes (20—40, 40—60) dividendum mihi esse videtur. Priore illa parte (20—40), consensu fere omnium autorum, virorum plures quam feminarum aegrotantes videmus. Cujus rei causae quum in periculis et externis et internis, quae hoc potissimum tempore impetum in virum faciunt, tum in ejus natura, quae, quum nimis immobilis atque pertinax sit, multis periculis resistens postremo frangitur, quaerendae sunt. Sexus contra muliebris hoc aetatis tempore multo minus nocendi viribus expositus est, quibus resistere facilius potest patienter ferendo, itaque haud ita facile morbo afficitur. Neque cum iis, qui caelibes faci-

lius quam conjuges in animi morbum incidere contendunt, dissentio. Quamquam enim saepius etiam in matrimonio maxima animi alienationis causa quaerenda est, tamen vita caelebs per se plus valere mihi videtur, quam conjugium ad aetiologiam morborum psychicorum. — Altera vero mediae aetatis parte (40—60) longe alia hujus rei ratio est. Pericula enim viro minora; feminae majora fiunt, quum aetate florere jam desinat neque vitae felicis spem redintegrare possit, annis climactericis, ut dicuntur, irruentibus. Denique monendum est, viduas facillime animi aegritudine laborare, quippe quae plerumque auxilio indigentes inopia rerumque angustiis opprimantur. — Quapropter haud mirum videtur, hoc aetatis tempore multo plures feminarum quam virorum morbis psychicis affici.

In senili vero aetate, quae animi corporisque vires reddat infirmiores, morbi psychici plerumque speciem ingenii imbecillitatis, stultitiae aliarumque animi depressionum similium induunt neque quidquam certi afferri potest, quid quantumque sexus valeat.

II. Causae excitantes.

Priusquam ad rem ipsam tractandam accedamus, iterum monendum est, nequaquam mihi in animo esse, ut causas propiores a remotis acute disjungam, quum quis facile nonnullas causas, hoc loco remotas nominatas, in propioribus, iterumque ex his nonnullas in remotis ducere possit, simulque una eadem-

que causa mox excitans mox praedisponens significanda sit. Difficillime igitur singulae causae disjungi possunt et morborum psychicorum causae plerumque complures noxiae dici possunt, quarum quaeque quid sola valeat vix cognosci queat. Causas vero diversas hac ratione disjungendas esse putavi, ut omnia breviore in conspectu ponerentur.

A. Causae psychicae.

Psychicae causae excitantes omnino spectant ad intelligentiam, sensum, voluntatem. Quarum quae pertinent ad intelligentiam mea quidem sententia non ita multum ad aetiologiam morborum psychicorum valent, quamquam intelligentia vel nimis vel parum vel perverse exculta damnosa fieri potest. Intelligentia enim imprimis virorum non aliter nimis excolitur, nisi cum damno ceterarum animi facultatum. Itaque etiam sensus atque affectus paullatim hebescere videmus, quum intelligentia nimis intenditur atque stimulatur, quo quidem etiam saepius efficitur, ut, omissis hoc loco ceteris coefficientibus causis, ingenium debilitatum ad ceteras res hebetetur atque induretur prorsusque obtundatur. Talem igitur nimis magnam intelligentiae intentionem indoctis et minus ingeniosis (hoc loco biblia sacra studiosissime ab agrestibus tractata mentionem fecerim) perniciosissima esse jam per se perspicuum esse videtur. Etiam in feminis simili ratione ad animi perturbationes proclivitas quaedam („Aberwitz") effici potest,

tamen multo rarius quam in viris. — Intelligentia porro parum exculta non tam facile causa mentis alienationis propria habenda erit, quamvis complures res noxiae animos eorum, qui minus bona indole praediti sunt, facilius permoveant. Num vero differentia sexualis hac in re discrimen faciat, vix queo dicere. Intelligentia autem perverse exculta et in parum accurata litterarum cognitione et in nimia varietate atque vicissitudine posita esse potest; utraque vero res, si quidem omnino ad animi perturbationes proclivitas judicanda est, multo magis ac saepius ad sexum virilem pertinere mihi videtur. Liceat mihi hoc loco nonnulla verba adjungere de phantasiae vi, quam nequaquam tam magni judicari velim, quam solet, quum talis cogitationis lusio, quae totam se in subtilitatum paradoxorum, exempli gratia perpetui mobilis inveniendi, cognitione collocat, sine dubio multo rarius causa, quam effectus mentis alienationis sit.

Eae vero causae psychicae, quae positae sunt in sensu, muliebri sexui potissimum perniciosae habendae erunt; certe quidem eae conditiones, quae aucto sensu nitantur, sive jucundae sive tristes, periculosae esse possunt. Aegritudine enim aucta animi atque sensuum vis, quae, animo nimis facile commoto, perpetuo affectu, opinionibus atque notionibus mente fictis, furoribus fanaticis, aliisque indicatur, saepenumero invenitur forma Hysteriae muliebris, quae semper animi perturbationes mulierum comitatur neque raro eas efficit. Apud viros contra talis animi aegritudo multo rarior et plerumque corporeis

causis effecta formam habet Hypochondriae, quae non solum morborum psychicorum nota propria, sed etiam res causalis judicanda est. Similis est ratio deminutae animi aegritudinis, quae maxime ex sensu, ad pulsus externos hebetato, vitaeque taedio cognoscitur. Quod vitae taedium, ex sentiendi ratione profectum itaque nequaquam in causis moralibus positum, invenitur, potissimum apud viros, qui cujusvis generis voluptatibus corporis immodice fruendis sensus affecerunt itaque hebetaverunt. Hoc autem vitae taedium vitae psychicae esse perniciosissimum crebramque causam gravis Melancholiae, quae facile ad mortem voluntariam propellat, nemini dubitandum est. Simili ratione torpor affert animi debilitatem, in qua homo non movetur nisi externo impulsu. — Jam si breviter quidnam hae species sensus diversae efficiant, reconsideraverimus, sexum muliebrem earum effectibus noxiis potissimum esse expositum inveniemus. Inprimis autem tristes animumque deprimentes sensus, ut dolor, desiderium, maeror, timor, angor, pudor, aliique sunt, quibus sexus muliebris tam facile succumbat. Jucundis sensibus interdum etiam animum perturbari, non negaverim; sed num hac in re sexus partem habeat, dijudicare non ausim. Ira etiam et ulciscendi cupiditas multum ad animi perturbationes valere possunt, quippe summus irae gradus, saevitia, jam species quaedam maniae est, quam iterum et saepius repetitam fieri posse maniam perfectam satis constat. Neque dubium est, quin sexus virilis his affectibus maxime percutiatur. Su-

perbia quoque et fastidio viri magis laborant quam feminae; sed ex mea sententia magna adhuc quaestio est, num hae libidines ut saepius fit, causae an notae morbi potius propriae habendae sint.

Restat igitur, ut de voluntate dicamus. Quae si nimis magna est, non solum saepe nota propria animi alienationis apparet, sed etiam multum ad aetiologiam morborum psychicorum potest valere, ut jam supra, quum de libidinibus diceremus, indicavimus.

Voluntatem autem parum excultam morbi notam potius propriam et quasi comitem habere quam ad aetiologiam aliquid valentem facere malui, similisque ex mea quidem sententia ratio est voluntàtis perverse excultae.

B. Causae physicae.

Ut physicae causae excitantes omnino sine dubio multo plus quam psychicae ad aetiologiam morborum psychicorum valent, sic etiam multo graviores res causales nostrae de differentia sexuali quaestioni praebent, et commode in duas partes dividuntur, quarum in parte priore pertractantur eae, quae ipsae recta via, altera eae, quae quasi per mediam quandam in cerebrum vim exerceant.

Talium igitur causarum proximarum primum nobis de caloris atque frigoris vi disserendum erit. Calorem sive solis ardentis sive ignis cujusdam artificiosi, qualem in singulis coquorum, pistorum aliorumque muneribus necessario adhibitum videmus,

recta via in cranium et in cerebrum vim exercere itaque, etiamsi raro, animi perturbationis causam fieri posse affirmaverim, neque minus, differentiam sexualem non per se ipsam, sed tantummodo, quoad sit sexus virilis his rebus noxiis potissimum expositus, spectandam esse. Frigus, cujus eadem fere ratio est, minor etiam quam calor causa morbi psychici proxima esse videtur. Quodsi contenditur, in illo Napoleonis I. ex Reussia reditu miserrimo complures milites ob frigus mente alienatos esse, recte referri potest, multas alias causas imprimis psychicas frigore efficaciores fuisse.

In cerebri deinde ejusque partium proximarum morbis, sive tumores sive inflammationes sive processus sunt secundarii, ut post typhum saepe apparent, etiam sexus directam vim non habet, nisi fortasse viri iis rebus noxiis, quae tales aegritudines afferant, saepius expositi sint. Idem de laesionibus capitis maximeque cerebri dicendum sit.

Sexui muliebri magis proprias cerebri atque medullae spinalis congestiones et irritationes, itemque diversas, imprimis hystericas, formas spasmorum, vix morborum psychicorum causas habendas esse puto. — De eclampsia postea dicendum erit. — Epilepsia autem non solum effectus atque comes, sed etiam saepe causa morborum psychicorum habenda est. Secundum omnes observationes, (quarum hoc loco tantum illas anno 1844 in Brittania habitas commemorare lubet, in quibus inter 951 epilepsia cum morbo quodam psychico conjuncta

aegrotantes virorum 199 plures, quam mulierum numerabantur); haec epilepsia multo saepius apud sexum virilem, quam muliebrem invenitur, ex quo recte fortasse concludi potest, etiam hac in re sexum virilem muliebri magis pronum esse in animi perturbationes.

Adjuvantes vero illae causae physicae vim suam exercent, partim eo, quod vigorem organicum conficiunt, partim quod quantitatem et qualitatem sanguinis commutant itaque cerebrum afficientes mentis alienationem affere possunt. In numero earum causarum, quae vigorem organicum conficiant, maxime voluptates libidinosae et masturbatio habendae sunt. Raro quidem accidit, ut continentia abstinentiaque sexualis morbi cujusdam psychici causa prima sit, tamen adjuvans et magis psychica causa saepius imprimisque apud mulieres ita invenitur, ut morbus plerumque formam maniae sexualis amatoriaeque habeat. Voluptates libidinosae et virili et muliebri naturae nocere possunt, id quod tam ad naturalem quam ad monstrosam veneris supra modum expletionem pertinet, qua non solum systema nervorum et motorium et sensibile recta via afficitur et continuo ad agendum impellitur, sed etiam succus deminuitur et abnormis quasi partium genitalium vitae gradatio (erethismus) efficitur. In universum nimia veneris expletione, ut causa directa corporea, sexum virilem potissimum affici, concedendum est; neque hoc loco conjecturam maxime verisimilem, ex qua progressiva paralysis, viris potissimum propria, prae-

cipue, ne dicam solum, excessu in venere effecta videatur, uberius explicare volo. Sed hoc loco aliae etiam res respiciendae sunt: sic plerumque accidit, ut una cum voluptatibus libidinosis, imprimis apud sexum virilem, aliae vitae intemperantiae cohaereant, quae causae omnes in contextu percipiendae sint. Eodem etiam referendum esse videtur, si, ut in urbibus majoribus saepissime accidit prostitutae in morbos psychicos inciderint; in his enim non tam libidines ipsae afferunt morbos psychicos, quam potius talium personarum conditiones miserae, ebriositates, morbi syphilitici aliaeque res. Sic etiam Esquirol mulierum in „Salpétrière" receptarum animo aegrotantium vicesimam quamque meretricem fuisse, jure affirmare potest. — Ceterarum denique psychicarum rerum causalium, imprimis apud mulieres, hoc loco tantum pudorem, sollicitudinem, desperationem, si qua stupro illato vel extra matrimonium sponte gravida facta sit, nominaverim.

Quae de efficientia voluptatum libidinosarum in universum dicta sunt, multo magis in masturbatione, imprimis virorum, rata sunt ducenda. Nam non solum succi deminutio et genitalium fere permanentis irritationis vis directa in cerebrum et medullam spinalem, sed etiam magna illa damna psychica, quae ex masturbatione manare solent, respicienda sunt. Corporis enim constitutio succi deminutione corrumpitur, simulque anaemia, quam animi perturbationes tam facile sequuntur, atque nervorum impotentia, mentis torpor, ut ait Hippocrates, efficiun-

tur. — Etiam spermatorrhoea, pollutio diurna, sive nititur in locali aegritudine sive ex nervorum systemate recta via proficiscitur, similes consecutiones atque etiam hysteriam quasi virilem afferre potest. — Saepius etiam, quam putant, masturbatio apud sexum muliebrem morbi psychici causa haud neglegenda mihi videtur, etiamsi circuitione quadam magis valida, quum varias affectiones sexualium, ut leucorrhoeam, positionem uteri mutatam, anomalias purgationum menstruarum itaque hysteriam impetus catalepticos aliosque morbos efficiat. Causae igitur efficiunt effectus et hi iterum causae fiunt.

Jam vero ad eas mulierum rationes, quae multum ad aetiologiam morborum psychicorum valeant, transeamus, menstrua eorumque anomalias. Quid ad animum valeat menstruum, quod dicitur normale, satis constat; nam saepius affectionem quandam perversam, depressionem vel excitationem, efficit, quae cum magnis angoribus conjuncta interdum, etsi raro usque ad mentis alienationem augeri potest, quam menstrui normalis rationem etiam saepe in aegrotarum mania aucta vel in forma maniae periodicae reperimus. De pubertatis eoque vitae tempore, quo menses mulierum incipere, itemque, quo ex lege naturali desinere solent, jam supra locuti sumus. Ipso regulariter revertente menstruo interdum etiam mentis alienationes afferri possunt, si quidem excitantia corporea symptomata, dolores vehementes, nervorumque distentiones hoc menstruum comitantur. Omnes vero menstruorum anomaliae in aetio-

logia morborum psychicorum alicujus momenti sunt, maximi quidem Amenorrhoea, menstruatio suppressa et retardata, minoris autem menstruatio pauca, rara, brevis. Menstruatione enim suppressa, quae mulieribus antehac sanis ex causa aliqua sive physica, ut perfrictione, sive psychica, ut terrore sollicitudineque accidit, duplici ratione animi perturbationes adduci possunt.

Hac enim suppressione primo circulatio sanguinis alium cursum tenere cogitur et tunc necessario sanguinis congestiones ad caput efficit, quibus cerebrum duplici ratione afflictari potest, quum non solum, si hae congestiones vehementes sunt, compressione afficiatur ita, ut morborum formae depressivae appareant, sed etiam, etsi minus vehementes sint, tamen magnopere irritetur. Secundo autem animi perturbationes positae esse possunt in venae Portarum systemate, quod, menstruatione oppressa, quae est venosa secretio cum illo conjuncta, morbo affectum est. Plerumque hae menstruorum anomaliae melancholiae formas efficiunt. Ceterae quoque mensium anomaliae non nihili ducendae sunt. Dysmenorrhoea enim, saepenumero in Hysteria, in animum vim habere potest, qua nervorum diversissimae, a colica menstruali usque ad catalepsiam menstrualem, perturbationes efficiuntur. — Porro etiam menstruatio nimia (diurna, frequens, praecox) ex anaemia totiusque nutritus deminutione causa tam amentiae fieri potest, quam cujusvis nervorum morbi. Sed constat, harum omnium rationum non tam unam

quamque per se solam, quam potius omnes inter se concurrentes causam fieri certam, ita ut in singulo quoque casu difficile sit dijudicare, quidnam singula quaeque res causalis effecerit. — Praeter mensium anomalias etiam morbi genitalium, quos jam supra commemoravi, in aetiologia morborum psychicorum apud sexum muliebrem nominandi sunt. Sic Uteri reflexiones et retroversiones, nonnunquam etiam cum situ coli commutato conjunctae, peritonitides chronicae, uteri et vaginae catarrhi, qui citius et per vim oppressi jam per se timendi sunt, ovariorum tumores, hisque similes morbi facile, quamquam per hysteriam demum, animi perturbationes afferre possunt, quae in systemate sexuali positae plerumque propriam psychopathiae sexualis vel nymphomaniae formam habent. Sed de hac re hoc loco uberius disserere, dissertationis brevitas me vetat. Sexui virili ab genitalium morbis non tantopere timendum est; et quamquam genitalium morbis imprimisque iis, quibus vis genitalis aboleatur, morosum quendam animi habitum, eoque ipso animi perturbationes saepius gigni, negari non potest; tamen hujuscemodi casus rarissimi sunt. — Utrique autem sexui communes animi perturbationes sunt, quae ex morbis syphiliticis proficisci possint. Quos morbos syphiliticos non solum virus syphiliticum transferendo in cerebrum vim directam exercere — (periostitis et encephalitis syphilitica), — sed etiam per medium quendam morbum, quo nutritus corporis corrumpatur, morbos psychicos afferre posse, (prae-

termitto simplicem hypochondriam syphiliticam), maxime verisimile mihi esse videtur atque etiam a compluribus viris doctis (Vidal, Simon, Esmarck, W. Jessen) comprobatur. Neque negari potest, debilitantes morborum syphiliticorum curationes (decoctum Zittmani) animo nocere posse. Sed quid in hac re sexus valeat, discernere non potui.

His peractis accedamus ad graviditatem et pariendi lactandique tempus. Quo quum in aetiologia morborum psychicorum apud mulieres tam magni momenti sit, accuratius inquiramus. Nam cum corporea impedimenta ex magna sanguinis nervorumque systematis permutatione profecta, tum momenta psychica in gravidis respicienda sunt. Perspicuum enim est, hoc statu consueto magnopere commutato et naturam propriam tam varie rapiente et afficiente, mulierem quoque, ipsa graviditate maxime normaliter procedente, varie affici et pro tempore aut, quod rarius fiat, hilarari excitarique aut, quod multo saepius, deprimi atque sollicitari. Itaque non est dubitandum, quin, accedentibus corpus aut animum excitantibus vel deprimentibus rebus causalibus facile animi affectiones gignantur, quae, prout ingenium, mores, corporis constitutio, educatio postulant, varie cernuntur et diversas animi perturbationum formas movent. — Cordis etiam vasorumque magnorum vitia et omnino sanguinis circulationis impedimenta affinia esse possunt. In universum morbi psychici, quorum causa propria et manifesta graviditas est, rari sunt, et saepius apud feminas summo

quam apud obscuro loco natas maximeque posterioribus mensibus inveniuntur et ineunte partu plerumque finiuntur. Saepissime melancholia observatur, quae paullatim ex tristi quadam animi affectione profecta procedente graviditate mentis alienationem adducere potest. Externas etiam res alicujus momenti esse posse manifestum est. Sic sine dubio impendens contumelia atque infamia in gravidas innuptas vim perniciosam exercere poterit. A melancholia vera disjungenda est anxietas quaedam complurium gravidarum nimia puerperiique metus, qui sane ita augeri potest, ut idea mente fixa fiat, exempli gratia metus, ne monstrum pariant. Etiam diversae gravidarum appetentiae interdum ita augeri posse videntur, ut animos in errores solito majores adducant. Sic igitur non solum directae causae psychicae, sed etiam corporis in graviditate commutationes, ut status congestionum et anaemia, magni momenti sunt imprimisque apud feminas primum gravidas factas. — Num quid illae in interno fornicis cranii apud gravidas tam saepe observatae „Osteophytae“ ad aetiologiam morborum psychicorum valere possint, adhuc in controversia est.

Multo etiam majoris momenti, quam graviditas, hoc loco partus et dies insequentes sunt, quibus saepissime animi morbi gignuntur, quorum nomen commune est „Mania puerperalis.“ Jam in puerperio ipso interdum mentis agitationes et ipsa mania, quin etiam unoquoque cum dolore puerperae furoris vehementis eruptiones observantur. Acer doloris

morsus, vehemens omnium nervorum irritatio vel etiam manifesti status sanguinis congestivi subesse solent his affectionibus, quae interdum in hostilibus et ipsa infantis caede cernuntur; plerumque autem celeriter remittuntur et imprimis in medicina forensi magnopere observandae sunt.

Mania quaedam transitoria nonnumquam subito exoritur, dum caput infantis orificium uteri pervadit, qua in re etiam anomaliae dolorum puerperae, virium defectio atque nimia intentio aliquo sunt numero; tamen mechanica et partum retardantia impedimenta minus efficiunt, quam verae uteri ipsius aegritudines. Sed plerumque talis mania transitoria, pervadente capite, simul summa fit et finitur, interdum tamen, perineo laeso, anxietas quaedam remanet. — Circumstantes etiam et puerperam curantes aliquid valere negari non potest. — Eclampsia denique parturientibus perniciosissima fieri potest. Si enim ad animi defectum in plurimis casibus praetereuntem eclampsia accesserit, hic animi defectus in maniam ipsam transire poterit.

Ceterae vero conditiones, quae saepe in proximis post puerperium hebdomadibus crebrae mentis alienationis causae fieri possunt, hae fere sunt: Antecedentes confectiones, dolores in partu vehementes, haemorrhagiae, convulsiones aliaeque res saepe post puerperium morbos psychicos afferunt, qui in cogitationis perturbatione et dissipata loquacitate potissimum cernuntur. Neque minus „Lochiis“ impeditis sanguinis congestiones ad caput itaque

mentis alienationes effici possunt. Buzzorini et Abrahamson praeterea impedimenta gastrica ex enervato abdominis tono profecta maniae puerperalis causas esse censent. — Etiam in febri puerperali status delirus, qui omnino a delirio typhoso non abhorreat, esse potest. Proximae omnino puerperalis causae partim corporis vitia in diaeta commissa, ut perfrictiones, partim psychicae res causales, ut irae, maerores, terrores sunt; tamen causae etiam praedisponentes, hereditas, magna nervorum irritabilitas, confectio puerperiis crebris, mania, quae in prioribus puerperiis jam exstiterat, silentio praetereundae non sunt. Partum puerorum saepius mania puerperalis sequi dicitur, quam puellarum. Etiam feminae, nobili loco natae, ob majorem irritabilitatem saepius, quam pauperes, in partu et post eum aegrotare solent.

Neque parvi momenti etiam lactandi tempus et in initio et in decursu habendum est. Quo enim tempore lactis secretio incipit, nonnumquam quarta vel quinta die post partum, maximeque hac lactis secretione oppressa (Milchmetastasen) animi perturbatio quaedam sub forma maniae lacteae effici potest. Ipsa etiam lactatione puerpera nervis infirmis magnopere debilitari potest, etiamsi ab initio lactis secretio copiosa fuerit. Deficiente autem lactis secretione sugendi cruciatibus puerperae summo periculo enervantur, quin etiam facile in futuram mentis alienationem adducuntur. Simili periculo, imprimis pauperes puerperae, longius lactando confectae se objiciunt. Neque minus infantem violenter

et subito uberibus ablato animum perturbari posse constat.

Sic Esquirol inter 1190 morbo psychico afflictas 92 ex puerperio aegrotasse animadvertit, quarum 16 a die 1—4, 21 a die 5—15, 17 a die 16—60, 19 a die 61 usque ad 12 mensem, dum lactarent, 19 statim post infantem vel violenter vel voluntarie a mamma disjunctum in morbum inciderint.

Eae autem animi perturbationum causae, quae in abdominis turbationibus potissimum positae sint, praecipue sexui virili propriae sunt. Hepatis atque venae portarum morbi, sanguis consistens in vena portarum, plethora abdominalis, morbo auctus sanguis venosus, haemorrhoides eaeque suppressae apud viros mediae vel provectae aetatis saepenumero inter causas morborum psychicorum habendae sunt. — Alios corporis morbos, de quibus magnam partem adhuc quaestio est, num sint causae morborum psychicorum necne, exempli gratia: febrim intermittentem, typhum, acuta exanthemata, cordis atque pulmonum morbos, helminthas ....., hoc loco omittere liceat, quum, quid differentia sexualis valeat, cognoscere non potuerim.

Inebriantes autem potus atque irritamenta, quamvis cum differentia sexuali stricte non cohaereant, tamen hoc loco commemorare me debere putavi, quum sexus virilis potissimum his rebus noxiis expositus sit. Magna jam ebrietas amentiam quandam ebriosam conjunctam cum hallucinationibus efficit. (ἡ μέϑη μικρὰ μανία ἐστίν). Abusus spirituosorum

saepenumero in vita psychica male evenire solent. Nam ebriosus et potulentus saepe delirio tremente afficitur, quae acuta mentis perturbatio saepenumero quidem mox remittitur, interdum autem graves morbos psychicos, ipsam ingenii imbecillitatem, relinquere potest. Plerumque abusum spirituosorum paullatim sequuntur hebetudo quaedam sensuum, detrimentum memoriae, debilitas mentis ingeniique; sed etiam subitae mentis alienationes, imprimis melancholia, dementia, mania ex eo gigni possunt. (Num vero abusus spirituosorum inter causas paralysis universalis habendus sit, dubitaverim). Quod attinet ad rationem, qua spirituosa vim exerceant, mox nimia irritatione et nutritus commutatione cerebrum recta via afficiunt, mox stomachum, hepar, corporis constitutionem perturbant. Etiam psychicae res causales, ut ira, inopia, dolor, accedere possunt. — Simili ratione, qua apud nos vina, in aliis terris opium et Cannabis indica (Haschisch) animis perniciosa esse possunt.

A nonnullis autoribus (Chapman) etiam tabacum immodice sumptum complurium rerum noxiarum, imprimis dyspepsiae graviumque animi depressionum arguitur, neque herbam Nicotianam, qua quis vel fumo ducendo vel sternutamento movendo vel manducando utitur, omnium nervorum functiones maxime impedire posse negari potest. Quae tamen conditiones accuratiore observatione adhuc carent.

VITA.

Natus sum Carolus Josephus Bernardus Hoelker Monasterii Guestfalorum die XI mensis Octobris anno h. s. XXXVIII, patre Josepho, quem jam ante quattuordecim annos morte mihi ereptum valde lugeo, matre Josephina, e gente Dollmann, quam adhuc superstitem pio animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Monasteriense, quod tunc auspiciis Stieve, Ditges, Schultz directorum florebat, frequentavi. Auctumno anni h. s. LVIII, testimonium maturitatis adeptus, almam hanc Gryphiae litterarum sedem petivi atque a Rectore magnifico Ill. Haeser in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Budge, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum nomen rite professus sum. Per octo semestria hisce interfui scholis:

Ill. Baier: de Psychologia; de Logice.

Ill. de Feilitzsch: de Physice experimentali universali; de exercitationibus physicalibus.

Ill. Muenter: de Zoologia generali et speciali; de Botanice physiologica et systematica; de Botanice medica. Eundem in excursionibus botanicis secutus sum.

Ill. Huenefeld: de Chemia anorganica, organica, analytica; de Mineralogia, de Geognosia et Geologia.

Ill. Budge: de Osteologia, Syndesmologia, Myologia, Splanchnologia; de Anatomia organorum sensuum; de Physiologia; de Embryologia; de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Schultze: De Angiologia et Neurologia; de Anatomia et Physiologia comparata.

Ill. Haeser: de Encyclopaedia et Methodologia medicinae; de Pathologia et Therapia generali; de Morbis epidemicis; de Historia medicinae.

Ill. Grohe: de Anatomia pathologica; de Parasitis hominum; de morbis mammae. Idem mihi dux fuit in exercitationibus de Anatomia et Histologia pathologica.

Cel. Ziemssen: de Diagnostice physicali, Auscultatione et Percussione; de morbis Syphiliticis; de Exanthematibus acutis.

Exp. Haeckermann: de Medicina forensi; de Politia medica.

Exp. Schirmer: De Physiologia visus. Idem mihi speculi ocularis usum tradidit atque in operationibus ophthalmiatricis me exercuit.

Cel. Laurer: de materia medica; de arte fascias rite alligandi; de Balneologia.

Exp. Bengelsdorff: De arte formulas rite concinnandi.

Ill. Pernice: de arte obstetricia; de morbis infantum; de morbis mulierum. Idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Bardeleben: de Chirurgia generali et speciali; de Akiurgia; de fracturis et luxationibus; de Ophthalmiatrice; de herniis. Idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Ruehle: de Pathologia et Therapia speciali; de morbis nervorum; de Psychiatria generali. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias agere quam maximas me juvat; imprimis autem tibi Ill. **Rühle**, cujus summa liberalitate munere medici auxiliarii in instituto psychiatrico per duo semestria functus sum, gratias ago semperque habebo.

THESES.

I.

Etiam in morbis physicis therapia psychica est adhibenda.

II.

Nulli morbi psychici nisi e physico morbo.

III.

Hyperaemia cerebri raro vel nunquam est causa morbi psychici.

IV.

Monomaniae non sunt morborum psychicorum genera sed symptomata.

V.

Aegroti psychici nullo modo in sanabiles et insanabiles separari possunt.